

detur vnus pars media pro Cymatii proiectura, vt sint  
 in vniuersum partes decem & nouem. Ibi cum recesseris  
 in interiorem partem, partis vnus & dimidiæ latitudi-  
 ne, demittenda ad perpendicularum linea ( Vitruuius Ca-  
 theton vocat) alta partes nouem & dimidiam, harum su-  
 prema erit Abaci, dimidia vero illa fiet ei Cymatiū. Su-  
 perest voluta in qua circinandā & rotundanda, postquam  
 Vitruuii perijt deformatio, multi laborauerunt. Bapti-  
 sta Albertus (quod sciam) primus cum bestia conflictā-  
 tus est lib. rei ædificatoriæ. 7. Quauquam locus men-  
 dis non caret. Albertus Durerus secundus certamen inuit,  
 egregius vterq; puginator. Nouissimus omnium commis-  
 sus Sebastianus Serlius (quo ego sum primis initiis huius  
 artis vsus præceptore) videbatur feram confecturus, ve-  
 rùm post multa vulnera, respirantem adhuc, & mem-  
 bra, licet ægre tollentem reliquit, vt si ita dimittatur spes  
 salutis superesse videri queat. Nos dum languet, peri-  
 clitabimur ecquid possimus, vt si conficiamus, vel hinc  
 aliquid gratiæ à spectatoribus expectemus, si non succe-  
 det, hoc certe me nomine solabor, quod fortes illi & egre-  
 gii citra controuersiam pugnatores, etiam re infecta è cō-  
 flictu redierunt. Et in magnis abunde est, voluisse. Vo-  
 luta itaq; recte (nisi fallor) ad circinum inuoluetur hoc  
 modo. Diuiso quod restabat lineæ perpendicularis post  
 deformatum abacum, in parteis octo, in quinta quàm ma-  
 gna est, describetur Ciclus qui oculus dicitur, vt sint su-  
 pra oculum partes quatuor, infra tres. Ille ipse diuide-  
 tur in partes æquas octo, ductis totidem lineis. Descri-  
 betur idē in alia charta sectus linea perpendiculari quin-  
 que partium, & plana linea partium trium, ducta ter-